



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum boni angeli, & homines per aliquod donum gratiæ possint facere  
miracula.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



recipitur in Angelo esse finitum. Et ideo eius substantia determinatur ad aliquod genus, & per consequens eius virtus determinatur ad aliquem modum agendi, quod de Deo dici non potest.

AD x. dicendum, quod licet Angelus faciat res mirabiles, per modum artis, ut supra dictum est: non tamen facit miracula.

AD xi. dicendum, quod licet motus locales inferiorum corporum sint a determinatis motoribus naturalibus, sicut, & alij motus: tamen corporalis creatura naturali ordine, obedit spirituali ad motum localem, non ad alios motus, ratione supradicta: & precipue si virtus eius non est determinata ad aliquod corpus, sicut est virtus animae ad corpus sibi coniunctum.

AD xii. dicendum, quod sicut substantia spiritualis creata non potest suo imperio imprimere formam in materia: ita non potest suo imperio impedire, quin imprimatur ab agente naturali. Et si hoc aliquando faciat, facit per appositionem alicuius impedimenti naturalis, quamvis sensus humanos lateat, & precipue cum possit flammam ignis localiter mouere, ut combustibili non tantum appropinquet.

AD xiii. dicendum, quod creatura spiritualis separata potest immutare phantasiam naturalem virtute, non imperium inducendo formas in organo phantasiae, sed per aliquam commotionem spirituum, & humorum: patet enim, quod aliqua transmutatione in his facta, phantasia apparet, ut in phreneticis, & dormientibus. Et ad hanc phantasiae imitationem, est quaedam res naturalis dicuntur efficaciam habere, quibus nigromantici uti dicuntur ad uisus illudendos. Et per hoc patet responsio ad xiiii.

AD xv. dicendum, quod sicut virtus angeli est supra virtutem corporis caelestis, ita & operatio, ut dictum est: non tamen ad hoc quod immediate formam in materia solo imperio inducat.

AD xvi. dicendum, quod finita virtus potest de potentia in actu aliquid adducere, non tamen qualibet finita, nec quolibet modo. Qualibet enim virtus finita habet determinatum modum agendi.

AD xvii. dicendum, quod etiam nihil impedit agens aliquid, non potest id ad quod virtus sua non se extendit: sicut ignis non potest infrigidare, etiam si nihil exterius impedit. Unde non sequitur quod si angeli non possint imperio suo formam in materia inducere, quod ab extrinseco impediatur: sed quia ad hoc virtus eorum naturalis non se extendit.

ARTICVLVS IIII.

Utrum boni angeli, & homines per aliquod donum gratiae miracula facere possint.

Quarto quaeritur, utrum boni Angeli, & homines per aliquod donum gratiae miracula facere possint. Et ut sic. Ordines Angelorum non sunt constituti nisi ad ea quae Angeli faciunt: sed ordo aliquis Angelorum institutus est ad miracula faciendum. Dicit enim Grego. in Homil. quadam, quod virtutes sunt, per quas signa, & miracula frequentius fiunt. ergo Angeli per gratiam miracula facere possunt.

¶ 2 Præ. Act. 6. dicitur, Stephanus plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Non autem premitteretur Dei gratia, nisi actus sequens ex gratia procederet. ergo per virtutem gratiae etiam homines miracula facere possunt.

¶ 3 Præ. Donum gratiae non datur nisi ad id quod per habentem gratiam fieri potest: sed aliquibus datur donum gratiae gratis datæ ad miracula faciendae: unde dicitur

1. ad Cor. 12. Alij datur gratia sanitate in vno spiritu, alij operatio virtutum. ergo sancti per gratiam miracula facere possunt. Sed dicebat quod sancti dicitur miracula facere non agendo, sed impetrando a Deo ut fiat.

¶ 4 Sed contra, impetratio orationis fit per ea quae reddunt orationem Deo acceptam, hoc autem fit per fidem, charitatem, & alias virtutes pertinentes ad gratiam gratam facientem. non ergo oportet ad signa faciendae dari sanctis aliquod donum gratiae gratis datae.

¶ 5 Præ. In 2. dial. Greg. dicit, quod qui deuotamente Deo adherent, cum rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo utroque solent, ut mira quaeque; aliquando ex prece faciunt, aliquando ex potestate.

Quod autem aliquis ex potestate facit, operando facit non solum impetrando. ergo angeli, & sancti homines etiam agendo miracula faciunt.

¶ 6 Præ. Triplex est rerum cursus secundum Aristoteli naturalis, voluntarius, & mirabilis: sed in cursu rerum naturali, angeli tanquam medij inter Deum, & corpora naturalia aliquid agunt, ut dicit Aug. in 3. de Tri. Oia corpora a Deo reguntur per spiritum vitae rationalem. & Greg. in 4. dial. dicit, Nihil in hoc mundo visibile, nisi per creaturam inuisibilem disponi potest: Similiter etiam cursum rerum voluntarium: nam ipsi angeli sunt medij inter nos, & Deum, illuminationes a Deo acceptas in nos deferentes. ergo etiam in cursu rerum mirabilium angeli sunt medij, ita quod eis agentibus miracula fiunt. Sed dicendum, quod angeli sunt medij non sicut agentes virtute propria, sed virtute diuina.

7 SED CONTRA: Quicumque operatur in virtute alterius, aliquo modo agit id quod fit per illam virtutem. Si ergo angeli in virtute diuina operantur ad miracula faciendae, ipsi aliquo modo agunt.

¶ 8 Præ. Lex vetus miraculose a Deo est tradita: unde habetur Exo. 19. quod cooperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem: sed lex data est per angelos, sicut habetur Galat. 3. ergo per angelos miracula fiunt.

¶ 9 Præ. Aug. dicit in 1. de doct. Christ. Omnis res, habetur, & non datur, si in dando deficit, nondum habetur quomodo habenda est, sed potestas faciendi miracula est in Deo, & si alteri daretur in eo non deficeret. ergo si non dedit alijs hanc potestatem, ut quod non habeat eam qualiter habenda est: & ita ut quod angelis, & hominibus Deo dederit potestatem miracula faciendi.

SED CONTRA est, quod dicitur in Psal. Qui facit miracula magna solus.

¶ 2 Præ. sicut dicit Ber. in lib. de Dispensatione, & precepto: Ille solus potest legem immutare, vel dispensare in lege, qui legem condidit, sicut patet in legibus humanis, quod solus Imperator potest legem immutare qui legem condidit: sed solus Deus legem naturalis cursum instituit. ergo ipse solus potest miracula facere, praeter cursum naturalem agendo.

RESPON. Dicendum, quod angeli supra naturalem potestatem quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiae, in quantum sunt diuinae virtutis ministrum. Et potest dici, quod ad miracula faciendae angeli tripliciter operantur, vno modo precibus impetrando quod modus, & hominibus, & angelis potest esse communis alius modus est secundum quod angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc, quod miraculum fiat: sicut dicitur quod in resurrectione colligunt pulueres mortuorum, quod diuina virtute reducuntur ad vitam: sed hic modus proprius est angelorum. nam humani spiritus, cum sunt corporibus uniti in exteriora operari non possunt, nisi corpore mediante ad quod sunt quodammodo naturaliter alligati.

Quaest. dist. S. Tho. H 4 Ter-

Lib. 1. ca. 19. in med.

In lide peccato originali, cap. 14.

Lib. 3. c. 4. n. 6. procul a precepto, com. 4. 4. dial. c. 5. n. 6. procul a fin.

Lib. 1. circa princ. co. 1.

Vide 1. part. q. 11. ar. 4.



Tertius modus est, q̄ operentur etiam aliquid co-  
gendo: quē quidem modum Augustinus sub dubio  
relinquit in 22. de Ciuitate Dei, sic dicens. Sine enim Deus  
ipse per se ipsum miro modo, siue per suos ministros  
etiam faciat, siue etiam per martyrum spiritus, siue  
per homines adhuc in corpore constitutos, siue om-  
nia ista per angelos, quibus inuisibiliter imperat, o-  
peretur (ut quae per martyres fieri dicuntur eis oran-  
tibus tantum & impetrantibus, non etiam operati-  
bus fiant) siue alijs modis qui nullo modo compre-  
hendi a mortalibus possunt, tñ attestantur hæc mi-  
racula fidei, in qua carnis in aeternū resurrectio præ-  
dicatur. Sed Gregorius in 2. Dialo. hanc quaestionem de-  
terminare uidetur, dicens quod sancti homines et  
in carne uiuentes non solum orando, & impetra-  
do, sed etiam potestatiue, ac per hoc cooperando  
miracula faciunt: quod probat & ratione & ex-  
p̄lis. primo ratione quidem, quia si hominibus data est  
potestas filios Dei fieri: non est mirum si ex potesta-  
te mira facere possunt. exemplis autem, quia Petrus  
Ananiam & Saphiram mentientes, morti increpan-  
do tradidit, nulla oratione præmissa, ut habet Act. 5.  
Beatus etiam Benedictus dum ad brachia cuiusdam  
ligati rustici oculos deflexisset, tanta se celeritate ce-  
perunt illigata brachijs lora dissolueret, ut dissolu-  
tam concite nulla hominū festinatione potuissent.  
vnde concludit, q̄ sancti quandoq; faciunt miracu-  
la orando, quandoque ex potestate: qualiter autem  
hoc esse possit considerandum est. Constat autē q̄  
Deus solo imperio miracula operatur, videmus autē  
q̄ imperio diuinum ad inferiores rationales spiri-  
tus, scilicet humanos, medijs superioribus, scilicet  
angelis, peruenit, ut in legis veteris latrone apparet.  
& per hūc modū per spiritus angelicos, vel huma-  
nos, imperium diuinum ad corporales creaturas pe-  
uenire potest, ut per eas quodammodo nature præ-  
sententur diuinum præceptum, & sic agant quodam-  
modo spiritus humani vel angelici, ut instrumentū  
diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem, nō quasi  
aliqua virtute habitualiter in eos manente, vel gra-  
uita, vel naturali in actum miraculi possint, quia sic  
quando cunq; uellet, miracula facere possent: quod  
tamen Gregorius in 2. Dialo. non esse verum testatur. Et  
probat per exemplū Pauli qui stimulum a se remo-  
ueri petiit, nec impetrauit: & per exemplum Benedi-  
cti, qui detentus fuit contra suam uoluntatem per  
pluuiam fororis precibus impetratam: sed uirtus ad  
cooperandum Deo in miraculis, in sanctis intelligi  
potest ad modum formarum imperfectarum, quæ  
intentiones uocantur, quæ non permanent nisi per  
presentiam agentis principalis, sicut lumen in aere  
& motus in instrumento, & talis uirtus potest intel-  
ligi donum gratiæ gratis data, quæ est gratia uirtu-  
tum, uel curationum, ut sic hæc gratia quæ datur ad  
operandum supernaturaliter, sit similis gratiæ proph-  
etiæ, quæ datur ad supernaturaliter cognoscen-  
dum, per quam propheta non potest quando cum-  
que uult prophettare, sed solum cū spiritus prophe-  
tiæ cor eius tangit, ut Gregorius probat in 1. Homil. su-  
per Ezechielem. Nec est mirum, si per hunc modum spi-  
rituali creatura Deus instrumentaliter utitur ad fa-  
ciendum mirabiles effectus in natura corporali, cū  
etiam corporali creatura utatur instrumentaliter ad  
spirituum iustificationem, ut in sacramentis patet.  
E PER hoc patet responsio ad obiecta. Nam  
verum est, q̄ solus Deus miracula facit per autho-  
ritatem. uerū est etiam quod potestatem miracula

faciendi creatura communicat secundum capaci-  
tatem creaturae & diuinæ sapientiae ordinem: ita q̄  
creatura per gratiā miracula ministerio operetur.

ARTICVLVS V.

Utrum etiam demones operentur ad miracula faciendā.

QVIINTO quaritur utrum etiam demones ope-  
rentur ad miracula faciendā. Et uidetur q̄ sic.  
Dicitur enim Matth. 24. Surgent Pseudo christi, &  
Pseudoprophetae, & dabunt signa magna, & p̄dici-  
ent sed hæc non operabuntur nisi per uirtutem damo-  
num ergo demones operantur ad miracula faciendā.

¶ 2 Præ. Subito sanare infirmum miraculum est, si-  
cut miraculum fuisse dicitur quod Christus socius  
Petri sanauit, ut habetur Luc. 4. hoc autem etiam  
demones possunt facere. Nam medicina adhibita  
infirmo sanitate accelerat: possunt autem demo-  
nes agilitate suæ naturæ medicinas efficaces ad sa-  
nandum, quas bene cognoscunt, adhibere ad sanan-  
dum, & sic ut uideri possunt subito sanare. Ergo  
possunt subito miracula facere.

¶ 3 Præ. Facere mutos loqui est miraculum: maius  
autem miraculum uidetur esse q̄ canis loquatur uel  
cantet, quod Simon Magnus faciebat, ut legitur, uir-  
tute demonis, ergo potest facere miraculum.

¶ 4 Præ. Valerius Maximus narrat q̄ fortuna sum-  
ma lachryma, quod Romæ erat uia Latina nō semel, sed  
bis ita locutum est his uerbis, Rite me matronæ u-  
distis, riteq; dedicastis: quod autem lapides loquan-  
tur, maius est miraculum, quàm quod muti loquan-  
tur, quod tamen est miraculosum. ergo uidetur q̄  
demones miracula facere possunt.

¶ 5 Præ. Legitur in historijs, q̄ quaedam uirgo ue-  
stialis in signum pudicitie conseruata, aquam in uale  
perforato de Tyberi portauit, nec tamen aqua effu-  
sa est: quod fieri nō potuit nisi per hoc q̄ retineba-  
tur aqua ne flueret aliqua nō naturali uirtute, quod  
patet esse miraculum in Iordanis diuisione, & eius  
statione, ergo demones possunt facere miracula.

¶ 6 Præ. Multo difficilius est hominem transformari  
in aliquod animal brutum, q̄ aquam transformari in  
uinum: sed aquam transformari in uinum est mira-  
culum, ut patet Ioan. 2. ergo multo fortius hominem  
transformari in aliquod animal brutum: sed demonis  
uirtute homines transformantur in bruta, sicut Varro  
narrat socios Diomedis a Troia reuertentes in an-  
tis fuisse eberfos, quæ lōgo tpe post circa templum  
Diomedis uolabant: narrat etiam q̄ Cyrces famo-  
sissima maga, socios Vlyssis mutauit in bestias, & q̄  
Arcades quodam stagno transitu conuertebantur  
in lupos, ergo demones possunt miracula facere.

¶ 7 Præ. Aduersitates Iob demone agente proci-  
ratae sunt: quod patet ex hoc, q̄ Dominus dedit  
potestatem in omnia, quæ erant Iob: sed humiliter  
aduersitates non sine miraculo contigerunt, ut  
patet in igne de celo descendente, & de vento do-  
mum ad interitionem filiorum eius euertente, et  
ergo demones miracula facere possunt.

¶ 8 Præ. Quod Moyses uirgam in serpentes muta-  
uit, miraculum fuit: sed hoc similiter fecerunt magi  
Pharaonis, uirtute demonum, ut habetur Exo. 7. et  
ergo uidetur q̄ demones miracula facere possunt.

¶ 9 Præ. Operatio miraculorum magis est remota  
a uirtute humana, q̄ a uirtute angelica: sed per ma-  
ios homines interdum miracula fiunt: vnde ex plo-  
na

Lib. 22. ca. 9.  
a. med. co. 3.

Lib. 2. dialo.  
cap. 30.

Lib. 2. dial.  
ca. 31. & 30.

2. dial. c. 20.  
Grog. lib. 2.  
dial. c. 33. in  
noai. ex. p.

D. 894.

Homil. 1. in  
Ezec. a. me.